



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Quartus. Ne sensibilem, siue affectuosam deuotionem nimium
excitet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

prius examinandi sunt; quam præteritæ vitæ agendi fuerit ratio, quæ inclinationes ad peccata, vitiaque, ad quos defectus propensio maior, quæ ingenij, & humoris constantia, vel mutabilitas, quibus motiuis, & inspirationibus internam vitam aggrediatur, quæ morum & animi grauitas, aut dissolutio; similiaque complura, quorum neglectu, aut ignorantia subindè contingit, vt quod maximè scitu necessarium erat, spirituales Magistri ignorantes, dum internam operationem promouere conantur, instruendus ad grauias quandoque, & occulta peccata prolatur, & ita dum spiritualia elicere conatur, alius carnalia metat. Demum in tanta humorum, & agendi modorum varietate; naturis, & conditionibus cuiuscunque examinatis, sese conformet, & hoc ipsum singulis ordinet, quod quemlibet eorum facilius ad solidam mortificationem, virtutis studium, & demum [quod cor illius ad deuotionem amplius inflammat, a Deoque vicinius iungit, applicatque,] conformiter tamen ad statum, quem instruendus habuerit.

His autem positis, quam maximè cauendum est, ne vllus, cuiuscunque conditionis, status aut sexus fuerit, ad mysticam vitam assumendam inducatur; nisi in illo prius, aut vocationem in qua contemplationis studium viget, aut singulare ad interiorem Dei amorem gratiæ auxilium expertus fuerit.

a *Taul. in Nativ. Dom. serm. 4.* b *Luc. 14.* c *sup. decis. 5. a. 3. & 4.* d *Tau'.*

quis enim est homo, qui volens b edificare domum, non prius sedens computat sumptus necessarios, si habeat ad perficiendum? & quis Magistrorum vitæ spiritualis non ingemiscit, vbi sub contemplationis specie, vagum & dolosum, ne dicam carnalem colubrum, post annorum spatia (sensualiter in Christo transacta) excoerit. atque idè consequenter monemus,

Ne sensibilem siue affectuosam deuotionem nimium excitet.

ARTICVLVS QVARTVS.

Circa regulas c deuotionis sensibilis, duo spirituali Magistro obseruanda veniunt. Primum, quod sensibilis illa deuotio (qua nonnulli affectuosæ naturæ in benedictionibus dulcedinis præueniuntur) [tandam aliquando d intereat] (saltem ordinario cursu spectato) etiam si triginta, & vltra annis duraret, & quantumcunque ille, qui hanc deuotionem sentiret, contrarium assereret: cuius quidem veritatis & praxis, vel pro oculari teste, & quidem non semel, (& in vno subiecto) nos exhibere possemus. Secundo, quod maior radicatio in charitate, & profectus spiritualis in Dei amore, non consistat in maiori intensione affectuum, siue feruoris amorosi; ita vt si mysticus hodie esset affectuosus, & spirans amorem diuinum; vt in gradu tertio,

tertio, post mensem debeat spirare, & commoueri, aut penè ardere, vt in sexto, & ita consequenter. hoc enim præterquam quod per se fieri non debeat, (si tamen fieret) hominem omninò aut mente, aut corpore, aut vtrobiq; inutilem redderet. Ad primum ergo quod attinet, cum sensibilis deuotio tandem deficere habeat, vt eidem spiritualis deuotio succedat; attendat sedulò Magister spiritualis, ne illam nimium excitet, multoq; minus illam ex se in discipulo formet, aut potius effingat: sed secundùm id quod in præsentì verum, & reale de Dei amore comperit, explicet, diuidat, & bonum à malo, vile à pretioso discernere doceat. quo ita tandem abactatus æque benè inueniat, vndè vtiliter in interiori suo, & occupetur, & ad maiora charismata se disponat. super omnia autem caueat ne cum instruendo de altis rebus tractet, aut talem statum vel operationes in discipulo efformare conetur, quales in se habet, ac experitur; ad hæc enim incipiens, aut proficiens omninò est incapax, & incredibile damnum incurere solent, qui taliter ducuntur, & instruuntur.

Amor itaque, qui in interiori homine habetur, & sensibilis dicitur, in tantum est admittendus, in quantum opus est, vt inordinatus amor, siue concupiscentiæ blandimentum, à dicto amore supprimatur, & spiritus paulatim intimiùs eleuetur. Ad secundum verò, quod attinet, Magister spiritua-

lis à tali errore abstineat, vt sibi, alijsq; persuadeat, magnum quid præstitum esse, si indies maiores seruoeres in parte sensibili excitet; præsertim si cum alio sexu hoc fiat, aut cum illis, qui penè innata deuotione Deo famulantur. tales enim ad sensibilem deuotionem, & seruorem sat propensi sunt: Vndè potius aliquo modo, & inaduertenter, quasi à sensibili ad sincerum in Deum amorem promouendi sunt. Si quis tamen sensibili deuotioni excitandæ collaborare volens, ecstases quasdam, seu potius mentis alienationes, suspensionesq; in se, aliove causauerit; non est quod hoc ipsum tam magni æstimet, quam quod aut sensuali conuersationi, aut ignorantia vtiliter, & ordinatè in vita mystica de vno in alterum, & de sensibili in verè spiritualem cum Deo conuersationem deducendi, tribuat. Et ideò longè meliùs fecerit Magister spiritualis, vt quando ad altiora se, & quæ verè, & realiter in praxi non possidet, prouentum fuerit, discipulum ad perfectiora tendentem, alteri instruendum committat: nec turpis lucri, aut vani honoris gratia detentus, cæcus cæco ducatum præstet, & ambo in foueam cadant. Vbi enim quis in amore sensibili penè inueteratus, tandem abactatus fuerit, tantam internæ desolationis amarulentiam, tædium, & ariditatem in illo conspicere licebit; vt nulla persuasione, industriavè, ad sanam interioritatem redire posse videatur.

O

Cum

Cum autem sensibilis deuotio bene ordinata, sit quasi umbraculum meridiani æstus, ne scilicet dum peregrinamur à Domino, terrenarum rerum concupiscentia allecti, & abstracti, ab incommutabili ad commutabile bonum dessemus; serio curet spiritualis Magister, vt blandimentum diuinæ consolationis moderatè propinet, quò ita simul anni adolescentiæ, ac pruritus mundi mysticis Athletis quasi furtiuè abeant; donec virili constantia, & iudicio armati, corruptam in seipsis naturam potiùs videant, quam sentiant: alioquin prodigahter assumpta sensuualitate diuina, subsequitur carnalitas humana, iuxta illud Apostoli: *a* Cum in Christo luxuriatae fuerint, tunc nubere volunt. quasi diceret, nonnulli postquam in diuinis recollectionibus sensibilem amorem non ampliùs gustant, tum ad sæculi voluptatem, cor, animum, & corpus conuertunt. quod certè plerumque in adolescentioribus cuiuscunque sexus, si sese ad mortificationes, & virtutes solidè exercendas non impenderint, contingere manifestum est, illis maximè, qui in praxi diu, & multifariè versantur. Ne autem spiritualis Director circa operationes supernaturales, & præstantiores accidentaliter immixtas hallucinetur, consequenter dicitur,

a 1. Tim. 5. *b* Rich. 1. 4. de Cont. 6. 22.

Extraordinarias mentis perceptiones, voluntatisq; excitationes amorosas, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare.

ARTICVLVS QVINTVS.

IN ordine consecutiuo statuum incipientium, & proficientium, tam intelligendo, quàm explicando, nihil tam facile, etiam spirituales Magistros inuoluere potest, quàm ignorantia actuum diuinitus infusorum. hos enim cum vel non aduertant, vel admirentur duntaxat; præsertim quod subindè reales mentis eleuationes, imperfectas autem vt plurimum, rariùs verò perfectas, Ecstasies, & raptus efficiant; minus clarè dignoscere valent, an istiusmodi operationes inferioribus statibus conueniant. Vndè cum facillimè cogitent, tales animas ad sublimiores status eleuatas esse, exercitia quoque spiritualia statum ordinarium transcendentia, incongruè assignant.

Sciendum est ergò [omnia *b* contemplationis genera posse fieri cum mentis excessu, & in omnibus etiam infimis statibus meditationis, aspirationis, & contemplationis vtriusq; modi, locum esse actuum infusorum, ita vt aliquando iuxta beneplacitam, & ab oculis viuientium absconditâ Dei sapientiam, pia anima à Deo dignetur sublimiori gratia; independentem quidem ab omni exercitio, directione, & auxilio huma-

no.